

lege quidem data est, inquit tantum, ueritas autem, quæ est gratia patris, est æternum uerbi opus, & non dicuntur dari, sed per Iesum Christum fieri, sine quo factum est nihil.

XXIII. Si per Iesum omnia facta sunt, certe est in eo alia natura & substantia, quam humana assumpta ex uirgine, & composita ex quatuor elementis, diuina scilicet substantia & ὑπόστασις λόγου de quo Ioannes ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, et omnia per ipsum facta sunt. Ex his manifestum est, Seruetum calumniosissime detorquere uerba Clementis Alexandrini.

XXV. Ad Origenem, quia nihil respondere potest, ait, se non ualde laborare, quid ille dixerit, & cum irrisione ipsius dictum cupit eludere, sed illud firmitus est, quam ut ab eo eludi possit. Clare enim ait: Nemo putet nos ἀνηπόστατον quodam dicere, cum Dei sapientiam nominamus. Item, Si ergo semel decretum est unigenitum filium Dei, sapientiam eius substantialiter subsistentem esse. &c.

XXVI. Nihil respondet ad decreta Antiochensis synodi, in qua damnatus  
B est